



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

XX. De Homicidio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

bona opus intentio facit, intentionem finis dirigit. Augustinus in Psalm. nempe actus moralis, ut loquitur speciem secundum id, quod intenditur, dicitur D. Thom. 2. 2. *quest. 64. art. 7. in corp.* sic vim habere omnia jura legesque permittunt, non ad repellendam, sed injuriam propulsandam, ut illi cap. significasti. Sed cur hic hæreo, ubi nullus Theologus, ubi nullus Catholicus refragatur.

CAPUT XIX.

De desiderio mortis Proximi.

Docet etiam non licere quidem ex motivo odio mortem alterius expetere, licere tamen, ad damnum aliquod vitandum: item orare Deum, ut eos medio tollat, qui tibi perniciem moriuntur: item Beneficiario optare mortem Pensionarii.

REFELLITUR.

Theologia actus voluntatis in duo genera vulgò distinguitur, efficacium scilicet, & inefficacium: effectus, quo quis vult quidpiam, & ad illud obsequium apta media, quantum in se est, vult adhibere; hic loquens desiderat mortem proximi, quam si posset, continuo procuraret; inefficax verò est, quo quis aliquid vult, potius quam velit, ita ut nullo modo illud faciat, aut procurare, aut media idonea adhibere velit: ad malitiam, vel bonitatem, actui efficacis conciliandam, objecti ratio habenda est, quod reverà in malum est, malitiam in actum refundit; si bonum, bonitatem, modo nullus sit motivus, aut conciliandam defectus, bonum enim ex integritate actus Theologi docent, non refundi malitiam in actum inefficacem ab objecto malo, si motivum bonum sit: Exempli gratia, aliquis domo egrediens inimicum recens in platea interfectum offendit, aliquo gaudio afficitur, ut rectè judices, ac quantum is peccet, scire debes, quo motivo ad gaudentium ducatur, si enim gaudet ex odio, vel quia ipse se decreverat illum interficere, gratia peccat; si vero gaudet, quia is insignis blasphemus erat, ac proinde ejus morte, grave scandalum solvitur, virtuti ac zelo gaudium illud tribuitur, vel quia sceleribus suis quietem publicam turbat, vel quia ad eo injuriam vexabatur, aut vexari timebat, vel quia pensionem solvebat; actus est amoris proprii, qui nisi valde immoderatus sit, ad peccatum, licet mortale, non pervenit.

Item, quoties hæc optantur in sacris literis? quoties David ad ejusmodi lætitiæ invitatur? non quia ex odio, vel invidia, sed ex motivo zeli, gloria, quietis Sanctorum: *Lætabitur iustus*, inquit, *quia vidit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatorum*; *Moses in Cantico 15. Exod.* lætitiæ de Ægypti clade appetit & palam testatur Orat Ecclesiæ, ut inimicos suos humiliate dignetur; ergo matrem à peccato merito excuset, quæ filiarum expetit, quas honesto matrimonio ducere non potest: en tibi verba S. Gregorii. *lib. 12. cap. 11. Evitare plerumque solet, ut non amissa* & inimici nostri nomen latificet, & rursus ejus gloria

sine invidia culpa contristet: nec est, quod aliquis dicat, loca ex Psalmis adducta continere prophetias; esto, quid inde? an propterea deest affectus Prophetæ, tum gaudii, tum desiderii de morte impii: fac quæso, aliquem insignem sicarium & grassatorem, iusta Judicis sententia, extremo supplicio affectum fuisse; qua lege prohibeor, gaudere de illa sententia, & de illius executione, scilicet de actu virtutis, volo enim honestum motivum adesse: idem dico, si morte naturali extinctus sit; si verò per actionem malam è medio tollatur, non possum gaudere de actione ipsa, quæ mala est, sed tamen de illius effectu, propter bonum finem; sic possum desiderare meam mortem, desiderio illo inefficaci, propter motivum honestum; sic Paulus cupiebat dissolvi, igitur & alterius; ut enim observant Theologi, multa possumus desiderare, quæ procurare non possumus.

Hæc opinio à D. Thoma expressè docetur 2. 2. *quest. 76. art. 1. Cajet. in sum. eamque sequitur, v. maledictio. Joan. de la Cruz 1. part. tract. de homicid. dub. 3. Conradus 1. part. resp. cas. quest. 392. Zanardus 2. 2. director. c. 6. Bonacina tom. 2. disp. 3. quest. 4. punct. ult. num. 7. Francisc. Galleti in Margarita cas. v. desiderare. Joan. Sancius disp. 2. num. 9. Pasqual. gus decis. 474. Vericelli qq. moral. tract. 5. quest. 6. num. 64. Marc. Serra 2. 2. q. quest. 76. art. 1. Diana part. 5. tract. 14. resol. 32. Sotus lib. 5. de just. quest. 12. Gaspar Hurtado tom. de fid. tract. de char. disput. 4. diff. 1. Castro-Pal. tom. 1. tract. 6. disputat. 4. punct. 1. num. 11. Busenbaum lib. 2. tract. 3. cap. 2. dub. 2. ubi citat Azor, Granad. Sanch. Trullench. lib. 1. disput. 2. num. 11. Lessius lib. 2. cap. 47. dub. 4. Item cap. 9. dub. 6. num. 20. & lib. 4. cap. 3. dub. 14. num. 106. Navar. in man. cap. 16. num. 7. Tolet. lib. 5. cap. 13. Angel. verb. pollutio. D. Antonin. part. 2. tit. 6. cap. 5. Adrian. in 4. tract. de Euchar. q. de consensu in opus pravam. Paludan. in 4. d. 9. quest. 3. art. 1. Vasq. 1. 2. disp. 1. 5. cap. 2. Tambur. lib. 5. cap. 1. §. 3. ubi citat Sanch. Turrian. porro prædicti autores de actu inefficaci, & simplici tantum affectu loquuntur; deinde hic simplex affectus in actionem malam ferri non debet, scilicet in peccatum; neque in id, quod cum peccato necessario connectitur; denique turpis finis, seu motivum inhonestum absit, necesse est, ad sitque debita moderatio; his definita legibus, prædicta opinio damnanda esse non videretur.*

CAPUT XX.

De Homicidio.

HOMICIDIS favent; docent enim, ut honori, vel bonis consulari, posse duellum acceptari aliquando, imò & offerri: item falsum accusatorem, falsos testes, & corruptum Judicem clam interficere, eum, qui alapam infligit, posse reperi gladio; eumque interficere, qui alapam intentat, qui mendacium impingit, qui verbis aut nutu contumeliam infert, si aliter reprimi non potest; summam verò pecuniæ, quæ homicidam excuset, Casuista numero aureo definiunt: quamquam aliqui prædictas opiniones ad proximum reducendas non esse docuerunt, quia scilicet Magistratus iis refragantur.

Claustra hæc per calumniam nostris affingi, faciam, ut luce meridiana clarius constet: & primo quidem loco, Casuistas homicidis nullo modo favere, aut patrocinari, demonstro; nullum homicidium, quod injustum sit, approbant, iustum autem damnare non possunt; quodnam autem iustum sit, indagant & disputant; nec enim præceptum illud naturæ, Non occides, rationis lumine notum, & à Mose in Decalogo expressè promulgatum, nec illud, quod à Deo Noe intimatum est, Genes. 9. De manu hominis animam requiram, &c. homicidium iustum prohibet, nec etiam Christus in lege gratiæ novum præceptum de hac re hominibus reliquit; imò neque nova præcepta moralia, ut expressè docet D. Thom. 1. 2. quest. 108. art. 2. ad 1. Ad opera virtutum dirigimur, inquit, per rationem naturalem, quæ est regula quadam operationis humane; & ideo in his, non oportuit aliqua præcepta dari, ultra moralia legis præcepta, quæ sunt de dictamine rationis, itaque non occides, scilicet, injustè; iustum verò homicidium est, quod vel iustitia vindictiva imperat, & autoritate publica executioni mandatur; vel iustæ, inculpatae & moderatæ defensionis jure committitur; reos autem autoritate publica extremo supplicio affici posse, inter Catholicos, non est dubium; insignis ille Hussitarum Patronus, Hieronymus à Praga, necnon Nicolaus Galeus docebant, hominem, quantumvis reum, à Judice ad mortem damnari non posse; at scelerati homines hac fraude omnes alios sceleratos in suas partes trahere volebant, illudque supplicium effugere, quo tamen Generalis Concilii jussu, effecti sunt; nec est, quod aliqui asserant, ideo Magistratui prædicta potestate polle, quia in scriptura ipsis à Deo data est; nam dubium esse non potest, quin ante legem Moysi datam, rei iustè à Magistratu ad mortem damnarentur; igitur scriptura in hoc, ut in præceptis Decalogi, expressius, ut sic loquar, explicat, quod ante solo naturæ & rationis lumine habebatur: ut igitur solo naturæ lumine, homines cognoverunt, reos autoritate publica interfici posse, hoc enim societatis humanæ ratio omnino postulat; eodem lumine cognoverunt, autoritate privata etiam interfici posse, ad repellendam vim injustè illatam, cum moderamine inculpatae ac necessariæ tutelæ; idque iustæ defensionis jure.

Iustæ porro defensionis jus non tantum est ad vitæ defensionem, verum etiam pudicitiae, bonorum, honoris, eorumque omnium, quæ ad vitam honestè ducendam necessaria judicantur; leges, tum civiles, tum canonicæ hanc naturæ legem passim explicant, & forrè civiles longius extendunt, quàm par esset, v. g. quod viro adulterum & uxorem interficere liceat in adulterio deprehensam; item patri, filiam fornicantem, Hero, servum, l. Patri, ff. de adulter. Item l. 22. 23. eodem titulo, & l. Marito, ibidem, l. Gracchus, C. eodem titulo; ad l. duodecim tabularum, quæ tamen per sacros Canones sublata sunt; secus vero illa, quæ permittunt, ad vitæ, bonorum, honoris, pudicitiae defensionem, injustum aggressorem, cum moderamine inculpatae tutelæ, occidere; l. Furem, ff. ad legem Corneliam de sicariis; & l. 4. ff. ad legem Aquiliam, & alibi passim; consule Cujacium ad l. 3. ff. de iustitia & jure; & Abbatem in cap. 2. tit. de homicidio: in jure canonico, non minus expressè hoc habemus, cap. interfecisti, de homicidio h. verbis: Si autem sine odii meditatione, te tuaque liberando, hujusmodi Diaboli membra interfecisti,

&c. nec est quod aliquis, cum Abbate, clausula illam, te tuaque, collectivè intelligendam esse contendat; quæ sanè expositio ridicula esset & absurda; nec enim ab eo me defendere possem, qui vitam meam, intactis bonis, impeteret; imò nisi pro defensione bonorum, vim illatam repellere possem, frustra illud tuaque additum esset; igitur intelligenda est clausula illa distributivè, ita ut, & vitam & bona seorsim, & simul etiam conjunctim, defendere possimus; & hunc sensum ut legitimum, & germanum agnoscat Barbosa in hoc cap. ubi citat 20. Anton. Clar. Covar. Ant. Gom. Mascard. Menoch. & ceteros; sed omnes Canonistæ, ab interpretatione Abbatis recedunt; idem tenet Glossa in cap. 10. de homicidio; ad de sis Panormitani additiones, in cap. 2. ejusdem tituli & ibidem Barbosa cap. olim. de restitutione, cap. dicto, de sentent. excom. cap. significasti, de homicidio vim vi repellere, inquit, omnia jura legemque premitunt, non ad vindictam sumendam, sed ad injuriam repellendam.

Sed omitto defensionem vitæ & pudicitiae, perperam Advertari non negant, hoc nomine, injustum aggressorem interfici posse, ad de sis defensionem integritatis membrorum, quod expressè docet S. Thom. 2. 2. quest. 64. art. 7. & post eum reliqui; ut ad defensionem bonorum & honoris veniam, pro quibus injustum aggressorem occidi posse, Doctores communiter sentiunt; Cajetan. quest. 67. art. 7. Sylvius homicid. 1. q. 2. & 5. Joan. Medin. de refut. quest. 49. n. 5. Sor. lib. 5. quest. 1. art. 8. Navar. cap. 15. ubi multa citat, Lud. Lop. cap. 6. Ant. Gom. rom. 3. cap. 3. num. 11. Julius Clarus v. homicid. num. 26. Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 11. & 12. Dicastil. lib. 2. de just. tract. 1. de homicidio, dub. 5. num. 50. & sequent. ubi citat Lysm. Valen. Molin. Bonacin. rom. 2. disp. 2. quest. ult. scilicet, 7. num. 1. & seq. Salon. 2. 2. quest. 64. art. 7. contr. com. Tolet. lib. 1. cap. 18. & lib. 2. cap. 6. Dian. part. 8. tract. 1. resol. 48. ubi multos citat, Bannes 2. 2. quest. 64. art. 7. ubi dicit, hunc esse consensum omnium fere Theologorum. Lugo disp. 10. sect. 9. & 10. Valsq. tract. de refut. cap. 2. Rebell. lib. 3. quest. 12. Valent. 2. 2. quest. 8. locum Cajet. in sum. v. homicidium, debere juvat, non solum, inquit, se ipsum, sed proximum, ut Ambros. in 1. de officiis testatur, 33. 4. num. cap. fortitudo, & cap. non inferenda ruendo, hunc occidere injuriam irrogantem; pari ratione, nulla libertatem & integritatem membrorum, & salutem necessariam ad vitam & virtutem, ne perdat ru suam aut suorum; & notabis verba Ambrosii, quæ multis saliter de injuria loquuntur. S. Antonin. 3. part. 1. cap. 3. Covar. in Clement. furiosus 3. p. 8. ult. Sotus. Medice de fortuitis casibus, quest. 8. Brunell. repet. 17. cap. 1. de homicid. num. 75. Bartholus n. 1. v. vim, ff. de just. & jur. Barbosa addit alios in cap. 2. de homicidio, scilicet Tiraquel. de nobilit. cap. 20. num. 6. Clarus 8. Homicid. Bobadil. in polit. lib. 2. cap. 12. num. 44. Menoch. illustr. cap. 11. num. 10. & cap. 13. num. 13. Hippolyt. in l. 1. num. 45. & 47. ff. de iust. Farinac. quest. 125. Brunel. in l. Julianas. Saym. de elavi, cap. 7. num. 10. Comitot Azor. Lessius de Petr. Navar. de refut. lib. 2. cap. 3. num. 198. Major. d. 15. quest. 13. §. 6. Sylvius 2. 2. quest. 64. art. 7. de vallius de charit. quest. 17. art. 1. Caraffa tract. 3. de homicid. cap. 2. §. octavo dico. M. Serra 2. 2. quest. 64. dub. 1. Cajet. 2. 2. quest. 64. art. 7. §. ad hoc datum, testatur esse D. Thomæ sententiam. Diana 5. part. tract. 4. resol. 9. citat cum aliis, Arragon. & refut. 4. cum ceteris Villalobos, Marchantium, Fabrum,

Sundorff. Molfetium, & resol. 16. Sylvium & Molinum, sed quid auctores recensent, præter quatuordecim, quos Theologi & Canonistæ præter quatuordecim subscribunt; supponunt tamen, illud quod ex bonis alterius surripit, esse notabilis honoris, item verum honorem lædi, illius scilicet honoris, cui prædictus honor ad servandam promissionem, necessarius est; item gravem esse iniuriam, qua quis alterius honorem attentat; item, quod propter sola verba occidere licet, nec propter aliquid grave, si cum hominis morte committitur, minimè censendum sit.

Item verò jam iniuria illata est, bona surrepta, & honor læsus, impacto scilicet viro gravi fuisse, vel iniuria, & iniuriæ auctore fugiente; quæritur, an fugientem insequi & interficere liceat; an tamen distinctionis, opinor, adhibendum est: Theologi & Jurisconsulti furtum coram testibus factum ab occulto distinguunt; furem clancularium ab alterius rebus fugientem, isque notabilis valetudinis, eas relinquere nolit, nec alio modo recuperare, quædam occidi posse, illi ipsi ajunt, qui occidi permittunt furem, & illas auferre conantem; accersere hoc ille cum nomina, ne iterum describam; ratio est, quia habet jam rem meam, eam scilicet mihi vendicandam; id id faciendi, sine quo, illam mihi vendicare non possumus, modo serventur prædictæ conditiones, id est, ut res ablata, sit notabilis valoris, & si monitus, eam relinquere nolit, nec alio modo recuperare queat: Eum verò furem, qui furti, testibus coram iudice convinci potest, fugientem occidendi non potest, idem Theologi & Jurisconsulti docent.

Notum de honore secus quàm de fortunæ bonis, quod capere sentiant enim, illum occidi posse, qui impacto colapho, aut fuisse fugiat; supponunt autem, nullum casum, in quo, is, qui colaphum accepit, honorem suum irreparabiliter amittat, nisi eum, qui commellam intulit, fugientem insequatur & occidat, si interficere recuset; voluntque de vero honore, non alio, eo quod insignis notæ, sine quo, vir læsus dignitatem suam, coram hominibus, sustinere nequeat, si quis Tribunus militum in acie exercitus, & gregario milite fuisse percipiatur: hanc sententiam his conditionibus & restrictionibus multo frequentius, scilicet Navar. in manual. cap. 15. num. 3. per Navar. lib. 2. de restit. c. 13. num. 383. Victoria de delictis quest. 2. num. 6. Henriquez lib. 14. cap. 10. in comment. lib. 7. ubi citat pro hac opinione Alvarum, Cordubam, Pennam, Fernand. in exam. moral. p. 1. cap. 9. §. 1. num. 16. Dian. part. 2. tract. 15. tit. 10. Bonacin. de restit. propter homicid. disp. 2. quest. 1. Gregor. Caraffa de duello, pag. 192. num. 25. Quos habent textus expressos: censetur enim periculum congressio, dum alter fugit, alter insequitur; hoc est verè defendere honorem, quod non est nisi eum furem insequi & occidere potest, ut bona rapta recuperem; cur non eum, qui commellam illat, honorem meum abstulit, si honorem meum recuperare. Lopez instruct. 1. part. cap. 1. Marchantius in summ. resol. pastoral. ad Decal. cap. 3. quest. 3. Mercatus apud Petr. Navar. lib. 2. cap. 3. Mirc. Serra 2. 2. quest. 64. art. 7. Philip. de rebus Dianam citatum; Villalob. in sum. tom. 2. lib. 12. diff. 12. num. 3. si alios dabunt; longum esset iter deinceps.

Contrariam sententiam Doctores communiter tenent; Barbosa scilicet, in cap. 10. de homicid. ubi citat Tolet. Salon. Emanuel. Malderum; Car-

dinalis Delugo, disp. 10. sect. 10. ubi citat Sorum, Carrerium, Molinam, Vasq. Rodrig. Turrian. Bannes, & prædictos Salon. & Malderum; adde Bubenbaum lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 3. num. 7. ubi præter adductos, citat Laym. Filliuc. Lessium; hic tamen propter autoritatem, oppositam opinionem utcumque probabilem speculative, ut ajunt, esse putat, quamquam in praxi minimè tutam, quia, inquit, is qui fugit, alapa inflata, læsum honorem saltem ex parte, percusso restituere videtur, quod eum reverà timeat, ac proinde fugiat: si testes ad sint, Judex de reliqua satisfactione facile judicabit; si verò occulta est iniuria, honor certè parum læditur: uno verbo, si unum excipiam Henriquez, nullum ex auctoribus Societatis invenio, qui opinionem illam in praxi tutam & probabilem esse dicat; ego sanè à communi minimè recedo, quamquam oppositam speculative loquendo, damnare non ausim extra praxim: verò ubi jam illata est contumelia, & honor læsus, licet is, qui insequitur fugientem & occidit, videatur honorem amissum reparare, hic tamen qui restituitur, verus honor non censeri non debet, ex virtute scilicet & dignitate personæ ortus, sed verè mundanus & spurcius, ex sumpta vindicta resultans.

Ab homicidii substantia ad circumstantias veniamus: opponunt igitur 1. Casuisti Adversarii, id quod dicunt, falsum accusatorem & Testes, imò & Judicem corruptum occidi posse ab inlonte accusato; & hanc opinionem speculative probabilem esse, non tamen ad praxim reducendam, quoniam à Magistratibus improbat, & cædibus Reip. funestaret; igitur Magistratus judicio, non Dei verbo, & humanis ac temporalibus Reip. rationibus, non divinis ab æternitate & animæ bono peccatis rem hanc definiunt, sed hæc facile refelluntur; sufficit enim, ut Casuista doceant, & reverà omnes docent, præsertim auctores Societatis, prædictas opiniones ad praxim licitè reduci non posse: deinde non parum confert, ad definiendum licitum, vel illicitum rerum usum, scire, quid Magistratus decernat, & quid Reip. rationes postulent; nam sæpè numero fieri potest, ut aliquid in se consideratum innoxium sit, quod tamen malum sit, si cum legibus humanis, vel Reip. rationibus comparatur, & vicissim, aliquid cum publica re collatum liceat, quod in se alioquin iniquum esset: v. g. non licet hominem occidere pro gallina; si tamen proposita capitis pœna, imperator exercitus quidquam capi vetuit, miles pro levi gallinæ furto jure plectitur; sic excubitor, si obdormierit, jure occiditur; necem utriusque justam nihil efficit, nisi salus publica; dormierit hic sane citra culpam, nisi vigiliis excubiæ, & totius exercitus salus postulerent.

Isdem de causis Theologi affirmant, homicidium aliquando culpæ experte fore, nisi Reip. salus ageretur, v. g. duæ familiæ in aliqua civitate, ut sæpe accidit, intestinis odiis dissident, & ex illarum una quispiam ab inimicis interficitur; non licet cognatis interficere, ulcisci injuriam morte percussoris; hoc enim ad auctoritatem publicam pertinet; sed apud Brasiles & Americanos complures, ubi Reges nulli, nullæ civitates, nulli cætus legibus consociati, nulli Magistratus sunt, illic docent Theologi, licere cognatis occisi, interficere, aut cognatos illius vicissim, si rei sunt, interficere, si ii facere satis pro illata morte abnuunt; ita Molina disp. 10. ubi citat Angelum v. Bellum, §. 6. Tabienam, Gabriel. in 4. d. 15. quest. 4. art. 10. Navarum in cap. novit, de judiciis, coroll. 25. num. 94. & 95. eadem ex

causa, non licet in Europa hostem, qui te aliquoties irritò conatu adortus esset, interficere, quoniam lege agere licet, quæ in promptu est; apud Barbaros autem, ubi nullus legibus, aut Magistratibus locus est, si quis se loquendo discolo, tibi aliquoties mortem intentalset, non ita facillè dammandus esset, si Barbarum interimeres; haud abs re igitur Theologi principum statuta, vel publicæ rei bono homicidii malitiam & culpam interdum metiuntur; cum actio ex se indifferens, imò fortè bona, mala fieri possit, propter Superiorum & Magistratus prohibitionem.

Ex his etiam refellitur, quod iidem Adversarii nonnullis Casuistis exprobrant, quod aliquando duellum à peccato eximant; at nullum invenies, opinor, qui post Romanorum Pontificum fulmina, Regum decreta, Episcoporum execrationes, duellum à peccato liberet, etiam si daretur, eum, qui duellum detrectat, veri honoris jacturam facere: nam Superiorum voluntas cum recta ratione conjuncta, & ad publicum bonum relata, privatorum honore superior est. Quæ nolim, sic interpretè, quasi existimem, detrectanti pugnam & de vero solidoque honore quidquam imminui; ita semper judicavi, per paucos aliquot Theologos, qui duellum in se spectatum, præscindendo à legibus positivis, quibusdam in casibus excusant, opinione falli; Layman inter illos, omnium modestissimè loquutus est, lib. 3. tract. 3. cap. 3. num. 3. Si in casu rarissimo, inquit, eo loco res sita sit, ut vir equestris, officio, dignitate, Principis favore, ob ignavia suspensionem, excidere debeat, nisi identidem provocanti se sistat, non audeo damnare eum, qui meræ defensionis gratia, paruerit, juxta expressam Navarri doctrinam, cap. 15. num. 3. & 4. Supponit enim, esse meram defensionem; non asserit quidem, sed damnare non audeat Navarri opinionem, quam etiam Du Vallius tract. de charitate, damnare ausus non est; ausim tamen illam sententiam reiicere, nunquam enim duellum licitum est, non tamen propterea, ante judicium Ecclesiæ, Navarrum dammandum esse crediderim, licet in hoc argumento paulò remissius scripserit. Quis amabo, ex his, qui multa scripserunt, aliquando non dormitavit? Ex SS. Patribus aliquis, de homicidio agens, scripsit, occidi posse vadem pro reo factum, si Reum elapsum nequeat ad tempus sistere; gloss. cap. 19. 23. quest. 5. Sed innocens suo sanguine nocentis scelus expiare non debet: Augustinus, inquit, negat, hominem occidi posse pro tuendo honore; sed idem negat, occidi posse pro servandis bonis; & refragantes habet Theologos, & Juris utriusque Doctores prope omnes; quamquam benigna interpretatione Augustinus explicari debet, potius quàm refelli; at Hieron. in 1. c. Sophon. expressè dicit, prædones & piratas esse mutilandos. Si quis, inquit, fortitudinem latronis & piratæ & furis enervat, infirmosque illos reddat, prodest illis sua infirmitas; sed hæc meo judicio plana sunt & perspicua.

Opponunt denique, summam pecuniæ, quæ homicidam excuset, nummo aureo à Casuistis deflorari, hoc telum Molinam peti, sed ut res planior fiat, accipe illius textum, excerptum ex tract. 3. disp. 16. n. 4. & 6. Quando res, inquit, non esset magni valoris, ut si esset solum valoris trium, aut quatuor, aut quinque ducatorum, consentiret Sotus art. 8. consentiunt & alii, non licere fugientem interficere; quando verò esset magni valoris, exiguaque esset spes illam postea recuperandi, affirmat Sotus, fas in eo eventu esse, illum interficere; neque id audeam condemnare, modo prius vocæ admoneretur, nisi rem relinquat, esse interficien-

dum; semper est tamen consulendum, ne proximo eo casu interficiatur: quid modestius & majori causa dici possit, non video; docuerat autem, nam, antequam res auferatur, posse dominum illum esse defendere, etiam si minoris valoris sit; & si ipsi inferatur, vix eum se damnaturum dicit, qui ipsum aggressorem repelleret, & cum moderatè intenditur d. cap. interfecisti, hæc clausula, ut non inculpata tutelæ occideret; atque id planè est, quo liberando; quando enim quis ita defendit suam, regulariter defendit simul suam propriam personam, quam periculo exponit; & verò, quando quis alter per vim aliquid auferre conatur, maximam ipsi contumeliam infert; ac proinde, si eam contra ipsius aggressorem defendat, non tam rei, quàm hominis est defensor; res modici valoris esse potest, sed honor læsus, præsertim si persona nobilis sit, magis momenti est; & hæc Molinam satis defendendum, non Lessium cap. 9. num. 68. imò & Sotum, quem uterque, sed de his satis.

CAPUT XXI.

De Iudicibus & opinione minus probabilis.

DOCENT iidem, Judicem posse in quæstione juris judicare secundum opinionem probabilis, relicta probabilior, etiam contra suum sensum.

REFELLITUR.

BONACINA de distinctione specifica & numerica peccatorum, disp. 2. quest. 4. punct. 9. num. 13. eximat, hanc opinionem esse probabilem, & pro illa citat Sayr. Aragon. Salon. qui eam defendunt: notis sunt in contraria sententia, Valq. Becan. Azor. Reginald. Valent. Sanchez, quibus omnino assentiri quia Princeps, aut Resp. constituit Judices, ut secundum propriam cognitionem judicent.

CAPUT XXII.

De Iudicibus, & munerum accipione.

DOCENT, Judices posse munera accipere, modò id nulla lex particularis prohibeat, cum scilicet ea dant litigantes, ex more communitatis, vel gratitudinis, ob iustam causam ad iudicem, sive ut in posterum rectè judicent, litigant pendente; vel ut brevem expediant, aut aliam causarum discussioni præponant, vel majore diligentia, studio discutiant.

RESPONDETUR.

ITa sentit Augustinus Epist. 54. ad Macchianum, in qua de iudicibus agens, qui accipiunt munera, dicit, eos ipsa consuetudine excusari: Sane alia persona, inquit, inferioris loci, quæ ab utraque parte insolenter accipiunt, sicut officialis & qui amovetur.